

eò quod à Paride rapta Helena, fax & tuba decennalis illius obsidionis Trojanæ, & subsequatæ devastationis fuisset. Plura φιλομύθοις suppeditabit *Natalis Comis lib: 1. cap: 9. sua mythologia*, prolixè de hisce Dijs differens. Consulatur & *Plinius lib: 2. Hist. Natur: c. 32.* adjungatur *Seneca lib. 1. Natur: c. 1.*

XVII. Verum enim verò hæc & similia (quorum recensio, brevitati studens, hæc vice supersedebo) Ethnicorum potius superstitionem, quam physicam rationem redolent, quæ paucis attingenda venit.

XVIII. Quando post tempestatem flamma malo vel antennis insidet, tunc certum datur indicium ventum jam sopitum, & tranquillitatem esse restitutam; neq; enim materia congregari & accendi, multo minus flamma incensa navi insidere vel adhærere possit, si vehementiori motu, qualis est tempestatis, aër adhuc agitarerur. Quando verò flamma ex aëre excidit, cum nulla tempesta antecesserit, tunc indicium datur mox futurorum ventorum atq; ecnephiarum, nam nubes vel aer flammam non excerneret, nisi jam tum in superiori loco vento compelleretur: Unde etiam quando crebræ in nubibus fiunt flammæ, quæ dicuntur stellæ cadentes, signum datur mox adventurorū jam tum in superiori loco spirantiū ventorū juxta *problema 25. sect: 26.* Flammæ itaq; quæ sequuntur tempestatem non nisi bonum indicium esse possunt, sive duæ sint sive plures; quæ verò non sequuntur, malum futurum ominentur, subsequaturam enim indicant tempestatem. Quemadmodum quando crebræ post tonitrua apparent flammæ, tonitrua jam cessare, indicatur; quando verò flamma ante tonitrua apparet, mox tonitrua auditum iri, ut plurimum significatur. Atq; hoc